

# O Viridissima Virga

Hildegard Von Bingen (1098-1179)

*Wiesbaden, Hessische Landesbibliothek, ms. 2 (12. Jh.)*

O Viridissima Virga, Ave,  
quæ in ventoso flabro sciscitationis sanctorum prodisti.  
Cum venit tempus, quod tu floruisti in ramis tuis,  
Ave, Ave sit tibi, quia calor solis in Te sudavit sicut odor balsami.  
Nam in Te floruit pulcher flos,  
qui odorem dedit omnibus aromatibus, quæ arida erant.  
Et Illa apparuerunt omnia in viridate plena.  
Unde cæli dederunt rorem super gramen,  
et omnis terra læta facta est,  
quoniam viscera ipsius frumentum protulerunt,  
et quoniam volucres cæli nidos ipsa habuerunt.  
Deinde facta est esca homnibus  
et gaudium magnum epulantium.  
Unde, o suavis Virgo, in te non deficit ullum gaudium.  
Hæc omnia Eva contempsit.  
Nunc autem laus sit Altissimo.